



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA, 16
DE
DEMONSTRANDI
RATIONE 1726/4.
IN
ARTE MEDICA,

Quam
CONSENSU GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ,

PRÆSIDE,
PRO-DECANO SPECTABILI,
DOMINO

CHRISTOPH. MART.
BURCHARDO,

MEDICIN. DOCT. ET PROF. PUBL. ORDINARIO,
LONGE CELEBERRIMO, POLIATR. CIVITAT.

ROSTOCH. DEXTERRIMO,
PRÆCEPTORE ac PROMOTORE

omni Observantiā colendo,

PRO SUMMIS IN MEDICINA HONORIBUS ac PRIVILEGIIS
legitime consequendis,

IN ILLUSTRIS AD VARNUM ACADEMIÆ AUDITORIO MAJORI,


D. Augusti A. R. S. M DCC XXVI. Horis consuetis

Publico examini submittit,

PETRUS CHRISTOPHORUS
BURGMANN.

Rostochiens.

ROSTOCHII, typis Jo. Jac. Adleri, SEREN. PRINC. & ACAD. Typogr.



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE
DEMONSTRANDI RATIONE
IN ARTE MEDICA.



§. I.

E Demonstrandi ratione in Arte Medica cum agere nobis animus sit, necesse erit de Demonstratione in genere quædam præmittere, imprimis hoc ipso tempore, quo multi ejus penitus ignari, Demonstrationum loco assumunt vel aliis venditant, quæ ex principiis erroneis, Hypothesibus prædominantibus, aut gratis suppositis, vel ex alia

disciplina arcessitis, aut etiam ex similibus longe petitis deducere; quippe quæ tantum absunt, ut aliquid evincant, & animo sciendi cupido persuadeant, quin potius semper recurrendum sit ad id, quod sub initium petebatur: In eo quidem plerique conveniunt, *Demonstrationem deducendam esse ex principiis universaliter veris, evidentibus, primis ac immediatis*; sed quid sibi velint termini isti, & an omnia illa requisita collectivè sumpta in principio Demonstrationis adesse debeant, an unum aut alterum horum sufficiat, non omnes consentiunt, saltem non ab omnibus attenditur. *Universalia* equidem requiri ut conclusio firma ac perpetuæ veritatis exinde deducatur, nemo facile negabit, cum ex particularibus, ex singulari exemplo vel Phœnomeno,

A

in

in naturalibus contingente, nihil certi colligere nec ad universalia concludere liceat. Præterea in universalibus istis principiis debere adesse *evidentiam* ut Demonstratio instituat, & dubius animus convincatur, quis est, qui negare audeat? Sed ad evidentiam sufficere, ut aliquis sibi *clare concipere vel imaginari possit, hypothesin quandam quam vel ipse excogitavit, vel ab alio traditam recepit, cum reliqui mortaliū cum aperte impugnent, vel tanquam evidentem admittere nequeant*, merito negatur. Evidens enim est quicquid vel per se plane perspicuum est omnibus promiscue, vel ex principiis ejusmodi evidentibus ita immediate fuit, ut nemo sana mentis ipsi contradicere possit. Itaque quamdiu hypothesi aliqua dubia est, vel obscura, aut terminis æquivocis involuta, non potest etiam quicquid exinde colligitur, Demonstrationis vim obtinere, quantumvis Syllogismus in prima figura formetur, aut secundum Methodum Mathematicam demonstratio instituat. Dicuntur præterea hæc *Principia Prima*; est enim hoc de essentia principii, ut sit prius isto, quod exinde vel existit vel fit, vel cognoscitur. Sed in eo quam maxime peccatur à plerisque, quod per *Principia prima* intelligunt rerum omnium prima & summa, ad quæ vel ratio ascendere in Metaphysicis, vel in rebus naturalibus potest, sive quis ad Veterum Elementa, sive principia Chemica, aut particularum conformationem mechanicam, aut monades Wolffianas, animum habeat magis pronum. Qui enim semper, e. g. in disciplinis practicis ad summa illa & remotissima abeunt, tripliciter peccant, nam 1.) cum de Principiis vel *cognoscendi vel agendi* sermo est, inepte ad principia *essendi* recurritur. 2.) loco evidentium nobis denuo tradunt dubia, obscura, controversa 3.) non observant quantum requisitum supra adductum, ut nempe Principium demonstrationis sit *proximum sive immediatum*, cum ex longius remotis nulla sequatur Demonstratio. Itaque in disciplinis practicis per *Principia prima* non intelliguntur semper ista quæ Natura sunt prima, sed quæ *prima sunt respectu Nostri*: id est, non requiruntur *Principia essendi*; sed quæ nos ad cognitionem rei sive objecti vel actionis certitudinem ducunt. Ut enim aliis, quibus de Jalappa ejusque virtute

nil

nil constat, evincas, radicem istam pollere purgandi virtute, & Cajo, qui evacuatione indiget, propterea esse propinandam, non provocas ad minima elementaria corpuscula ex quibus Jalappa componitur, quippe quæ nobis perspecta non sunt, sed vel ipsam radicem profers, vel notas quasdam Characteristicas describis sensibus evidentes, nigricantem colorem striis vel punctulis splendentibus interspersum; præterea, quod in taleolos dissecta ad nos afferatur, quod flammam facile alat &c., nam in istis, quæ sensibus prostant, nulla alia datur Demonstratio nisi sensualis, quæ omnium certissima est, & quam maxime evidens. Virtutem autem purgantem constare ostendes ex eo, quod in tot innumeris personis jam olim eandem probaverit, ut nullum dubium supersit, *Jalappam esse Medicamentum purgans.* Hæc itaque propositio *Axioma* sive *Principium universaliter verum & primum* constituit, respectu Artis Medicæ, ut Medicus certus esse possit, quoniam Cajus evacuatione alvina indiget, eum ex propinata Jalappa id beneficii experturum. *Principia* itaque *prima* dicuntur relative, nempe ista, quæ in disciplina vel Arte ad demonstrationem requirantur, quæ nempe ipsi propria sunt, & quasi domestica, ita ut ad hæc tanquam prima recurri & provocari possit, nec opus sit, ex aliis longius remotis, vel ex alia disciplina accessit derivare: & hinc adjicitur quod *Principia Demonstrationum debeant esse Immediata* ita ut inter ista & conclusionem nihil intercedat. Ex his enim Demonstrationes formantur perpetuæ veritatis, vel ad cognitionem objecti, vel ad actionem instituentiam opusque aliquod producendum necessaria, ut in practicis disciplinis aut artificijs observamus.

§. II.

Præcipuum ergo momentum quod ad veram Demonstrationem requiritur, quod tamen à plerisque negligitur, versatur in eo, ut in qualibet Disciplina practica vel Arte adhibeantur *Principia Artis Propria & Domestica.* Consistunt autem principia cujuslibet Artis 1.) In cognitione subjecti 2.) Instrumentorum & 3.) in Methodo instrumenta rite applicandi. Per hanc cognitionem tamen non intelligitur Philosophica, Physica vel abstracta Metaphysica, sed specialis ista, quæ specificè operationem

Artificis determinat, ad finem Artis rite obtinendum. Hinc subiecti cognitio in tantum requiritur, in quantum aptum est finem artis admittere. Instrumentorum autem, in quantum rite applicata apta sunt finem istum producere. Exemplo nobis sit Zythopæus: Hic non æque manuali opera finem assequitur, sed potius artificiali moderatione utitur mutationum ex naturæ legibus succedentium, adeoque ad præsens nostrum negotium apprime quadrat. Nam subiectum ipse Physicum est, & instrumentis indiget mere physicis, igne nempe & fermentatione: Non tamen iste cognitionem sui subiecti ex Principiis Philosophiæ naturalis aut corporum primis elementis, de quibus adhuc Philosophi litigant, haurit, sed principiis magis proximis ac evidentibus utitur, quibus hordeum bonæ notæ discernit a fatuo aut situ corrupto. Deinde illud in aqua macerat, maceratum reponit, ut incalescat, & intestinum sive vegetativum concipiat motum ac radicem protrudat fibrillas; quousque autem vegetationis huic actui indulgendum, ex certis signis rursus cognoscit, & antequam germen protrudatur, vel auræ liberiori vel tostioni illud exponit, ut humor peregrinus rursus expellatur. Sic nec instrumentorum suorum, ignis nimirum & fermentationis naturam ex Physicis principiis perspectam habet, nec curat doctrinam de Motu in genere, vel novas Stahliautorum hypotheses, an motus sit res immaterialis, & cum motus fermentativus semper tendat ad certum finem, nempe ad spiritualescentiam liquoris, an spiritus immaterialis & rationalis sit causa huius motus, & mutationis, que in minimis particulis contingit. Nam etiam si hæc Philosophia vera esset, nil tamen utilitatis afferret Zythopæo. Huic enim magis necesse est, scire, in quantum ignis & fermentatio ad finem, quem intendit, rite producendum faciunt, ut scilicet gradum caloris observet, quando liquor fermentationi exponendus, & quousque fermentatio continuanda, ne vel vappescat cerevisia, vel aciditatem contrahat. Itaque Zythopæus recte utitur principiis Artis propriis & proximis, ad finem obtinendum immediate facientibus, adeoque suarum rerum certus est, & finem Artis habet in potestate. Nec putandum, eum melius istum assecuturum, si in

si in Physica speculativa magis esset versatus. Tantum enim abest, ut Principia illa Physica, ab arte magis remota, aliquid ad certitudinem afferant, quin potius dubium animum reddant, aut in manifestos errores artificem conjiciant. Ponamus enim, Hordeum constare ex terreis salinis cum acidis tum alcalicis & sulphureis particulis: Ponamus Zythopum ex hac doctrina concludere, se sine ulla ambage ex ejusmodi particulis certa proportione inter se mixtis cerevisiam mediante fermentatione producere posse: Anne putas cum finis sui, quem intendit, compotem futurum? minime gentium. Non enim elementa corporum adeo crude a Natura in vegetabilibus commiscentur, sed pro horum diversa proportione, caloris solaris diverso gradu, varie mutantur & maturantur, inimitabili plane artificio & captum humanum superante. Eadem vero Artificum omnium reliquorum est ratio, ut ex principiis propriis ac domesticis rite agant, ac finem suum certo ac demonstrative producant; dubia contra reddantur, aut manifesto aberrant, si his neglectis ex Principiis Philosophicis ac remotis operationem instituire velint. Sic ipsæ disciplinæ Practicæ e. g. Politica, quæ actiones hominum in societate viventium moderatur, non utitur principiis vel paululum a disciplina remotis, e. g. quid sit homo, quomodo ex spiritu immateriali & corpore organico conflet, an spiritus iste in corpus suum agat & ab eo rursus afficiatur, an actiones humanæ ex harmonia præstabilita consequantur; nec ex hisce hypothesibus conclusiones format, ad quasnam operationes homo sit aptus: nam exinde nec immediate nec specificè consequitur quid ipsi in societate viventi observandum sit, cum hominis natura latius pateat, ita ut plures aliæ operationes inde expectandæ sint. Itaque Politica principiis utitur propriis & magis propinquis, nempe illis, quæ in societatum diversa forma consistunt vel exinde immediate consequuntur.

S. III.

Hæc cum in univèrsum ita se habeant, ut qualibet Disciplina utatur suis genuinis ac domesticis principiis, quippe quæ imprimis

apta sunt, ut certitudinem generent, & conclusiones producant veras ac demonstrativas; mirum est, cur soli Medici relictis Artis suae principiis genuinis ac domesticis, per experientiam compertis, & toties probatis, & propterea certa, vera ac evidentia Axiomata constituentibus ad remota Physica, Hypotheses praedominantes, vel olim vel nupere excogitatas, nulla ratione demonstrandas & praeterea extra limites Artis positas abire contendant, imprimis cum susum rerum non magis certi reddantur, sed vel animum dubium ad artis exercitium afferant, vel Artem, cujus tanta olim fuit Autoritas, ludibrio hominum exponant; dum enim alienis istis Philosophicis nimium tribuunt & operationes suas exinde instituunt, necesse est ut experimenta per mortes agant, suam laedant conscientiam, & vindictae divinae se faciant reos. Non enim homo vel secunda vel adversa valetudine gaudet, quatenus ex primis elementaribus particulis vel chemicis constat, nec quatenus gaudet Anima rationali, mox moraliter, mox erronee, aut ex tadio, morbos producente, ut Stahliani volunt. Nam praeterquam, quod haec principia adhuc dubia ac incerta sunt, & toties mutantur, quoties novus Philosophus exurgit, & nova commenta, genio seculi magis accepta, excogitat, etiam nimis remota haec sunt, ut vel immediate ad corporis morbos vel eorum extirpandi rationem applicari possint.

§. IV.

Ad principia ergo magis propinqua Medicis attendendum venit, est enim ipsis res cum Corpore morbofo, & morbofo autem praesupponit sanitatem, a qua scilicet corpus recessit, & ad quam rursus est reducendum. Nullus autem Artifex agere, & cum recta ratione finem suum producere potest, nisi istum praecognitum habeat. Pertinet enim finis inter praecognita Artis, adeoque facile patet, quod etiam Medicus perspectum habere debeat statum corporis in sanitate constituti. Sunt autem sanitas aequae ac morbus affectiones viventibus sive Animatis propriae; Animatum autem Medicis dicitur, quicquid Principio Interno movente, sive talibus fluidis gaudet, quae vitalibus & animalibus actibus praesunt, ac talibus organis instructum est.

est, quæ actibus sive impulsui horum exacte respondent. Sunt enim hæc ipsa tam affabre sapienter & machanice in homine ac animalibus (de his enim non de plantis nunc nobis sermo est) constructa, ut quodlibet suum certum opus peragat, quamdiu a fluidis istis corporis, sanguine nempe, & subtilissimo fluido nerveo actuantur, non tamen mere passive organa ad suum officium concurrunt, sed fibris motricibus instructa reagenti vi pollent & impetum fluidorum moderantur, ac determinant, ut finis ac effectus consequatur, pro diversitate organi diversus, quem summus Conditor cuilibet præscripsit, ita ut horum Mechanismus non confundendus sit cum vulgari artificum, sed hinc animalis omnem humanam industriam longissime superet. Consistit autem vita immediate in actu sanguinis circulatorio, qui à cordis impulsu, ac partium omnium per quas sanguis fertur, renisu pendet; Ipse sanguis vero particulis suis inflammabilibus & gelatinosis vicissim calorem proportionatum, nutrimentum & mollem vel certe lubricam consistentiam partibus conciliat. Mediate vero consistit vita, partim in actibus depuratorii, partim in chylificationis negotio. Est enim Sanguis liquor ad corruptionem pronus, adeoque continua depuratione indiget, quam præstant organa quasi cribriformia, ut sunt hepar, renes, pori cutanei pulmo aliæque organa glandulosa in naribus palato intestinis &c. collocata, quorum quodlibet pro diversa sua natura, non tamen nude passive, sed ut monuimus activa virtute diversas excrementitias particulas biliosas, muriaticas, halituosas acres ex sanguine segregat & expellit. Chylificatio vero cum suis organis faciunt, ut id, quod deperditum, reficiatur.

§. V.

Non vacat equidem totum summi Conditoris Artificium, quod in corporis humani fabrica reconditum latet explicare, nec necesse id est, cum ex adductis sufficienter cuilibet constet, operationes vitales ex contemplatione particularum simplicium elementarium, quas Philosophi, pro diverso Sectarum studio sibi fingunt, nec ex doctrina de Motu in genere intelligi posse. Sed Naturam humanam ejusque motus ad vitam ac sanitatis confer-

conservationem facientes, ex Natura humana esse addiscendam. Addiscitur autem partim, ex contemplatione Phœnomenorum sive operationum vitalium, quæ cum in corpore sano tum morboſo contingunt; partim ex inspectione cadaverum Anatomica; Hæc enim nobis causas Phœnomenorum sive actuum vitalium exponit, *Instrumenta nempe sive organa, quæ mirabili ac suspenda sua fabrica impulsu Principii moventis specificè determinant, ut talis, non alius effectus consequatur intentioni summi Conditoris conformis, ut vita & sanitas per tot annos duret. aut morbi eorum causa corrigantur, vel e corpore expellantur.* Imo Cadaverum morbis extinctorum sectiones nobis aperiunt causas insuperabiles, quæ efficiunt, ut quidam morbi nulla Artis efficacia se extirpari patiantur, e. g. cum organa vitalia vel ulceribus corrupta vel minimi ipsorum meatus ad duritiem usque lapideam infarcti vel Cor ac vasa majora polypto obsessa, aut Aneurismate dilatata, vel denique vulneribus lacerata sint. Cum enim hæc organa ob exactam mechanicam suam structuram apta sint ad usum & functionem, quam corpori præstare debent, hinc quando ita Mechanismus ipsorum læsus est, ut nulla ratione in integrum restitui possit, necesse est hominem occumbere & quidem vel subito, vel successive, prout organi actus ad vitam sustentandam magis vel minus necessarius existit. Adeoque insulsi rerum æstimatores sunt, qui impotentiam ac vanitatem Arti Medicæ propterea obijciunt, quod non omnibus morbis sufficiat. Sunt enim isti extra limites Artis: non nisi per omnipotentiam Divinam corrigenda.

§. VI.

Quemadmodum autem Corporis sani notitia non ex Hypothesibus Philosophorum, aut contemplatione particularum simplicium elementarium addiscitur, sed ex ipso Corpore humano vel etiam brutorum per analogiam acquirenda est; Sic facile apparet, quod nec status corporis morboſi & morborum varia indoles addisci possit, nisi ex ipso corpore morboſo, ac *diligenti contemplatione variorum quæ in quolibet morbo contingunt phœnomenorum.* quemadmodum ista ab aliis fide dignis Autoribus jam antea toties observata sunt, & propria nostra experientia confirmantur.

tur. Quoniam autem plurimi morborum non per se in sensu incidunt sed in corpore additi latent, necesse est, ut ex indicibus sive signis quibusdam statum præternaturalem dignoscamus. Cognoscitur autem iste in genere ex communi omnium hominum consensu, ut quemadmodum quilibet, qui rite sine ullo impedimento omnes suas actiones, quæ hominibus in universum naturaliter competunt, perficere valet, sanum se prædicat; sic contra *Valetudinarium se æstimet, si vel unam, vel plures actiones, vel penitus non, vel imperfecte aut non sine difficultate & singulari molestia exercere potest.* Sponte ergo consequitur *morbum esse; quicquid actiones corporis lædit & quidem primo & immediate.* Dicimus *Primo*, ut morbum distinguamus à suis symptomatibus, quæ morbum comitantur aut sequuntur, quippe quæ non nunquam aliarum partium, vel proxime adjacentium, vel distitarum etiam, actiones lædunt, non tamen *primario sed secundo*, id quod Medici vocare solent per consensum. Addimus *Immediate* ut morbum discernamus à suis causis, quippe quæ sæpe nobiscum circumferuntur sine noxa, donec in parte quadam sedem figant, vel copia sua molestæ evadant, ac morbum producant. Quamvis autem morbus haud difficulter discernatur à suis causis, magis tamen communis est error, quod Medici discrimen illud inter morbum & symptoma negligant, & symptoma pro morbo habeant, aut tot morbis ægrotum conflictare, sibi persuadeant, quot symptomata corpus ipsius infestant. Non enim putandum hunc errorem esse de nihilo: nam ut morbo extirpato symptomata, quotquot eorum sunt, sponte concidunt sic contra morbo neglecto, frustra oppugnantur symptomata.

§. VII.

Stahliani hanc definitionem Morbi rejiciunt, & persuasum nobis volunt; *Morbum esse Conatum Naturæ sive Animæ Rationalis in bonum finem:* Nolumus autem jam inquirere an *Animæ Rationalis & Naturæ humanæ, ut Stahliani tradunt, sit unum idemque,* cum hæc thesis mere philosophica

B

phica

phica fit. Quod autem Definitionem Morbi attinet, hac ipsa manifeste ostendunt, *se inter morbum & conatus naturæ salutares ad morbi extirpationem facientes distinguere nescire*. Erroneam certe esse hanc Doctrinam ex eo statim elucet, quoniam manifeste ducit ad absurdum. *Si enim ipse Morbus est conatus Animæ Rationalis ad bonum finem*, sequitur vulnera, fracturas aut contusiones Cranii, Uteri prolapsum, Luxationes membrorum, Cæcitatem; Surditatem, Apoplexiam, Paralytin, Hydropem &c. *esse conatus Animæ Rationalis in bonum finem* quod tamen nemo salva veritate affirmare potest. Quod autem excipiunt se definitionem suam intellectam velle, de febribus, de Hæmorrhagiis, aliisque excretionibus salutaribus, tunc 1) in eo peccant, quod Morbo, qui terminus generalis est omnes corporis humani affectus comprehendens, applicent definitionem particularem, 2) ostendunt, ut mox monui, *se inter morbum & conatus salutares distinguere nescire*. Nam hæmorrhagias narium criticas, Mensium ordinarium fluxum, aut hæmorrhoidum profluvium, diarrhæas item cum salute contingentes, nemo Medicorum unquam ad morbos retulit. Possunt autem conatus isti per se salutares in morbos degenerare, quando nempe nimii sunt aut erronei, ita ut vires non tantum profertant penitus, sed mortem nonnunquam afferant subito; quod discrimen jam suo tempore observavit Hippocrates Aphor. I. 2. & luculenter descripsit. Febres autem per se nunquam sunt conatus naturæ salutares, utpote quæ in destructionem corporis toties abeunt, sed conatus salutares sunt qui febres solvunt, & ad optatum finem perducunt, Excretiones nempe sudoris, aut aliæ, per urinam aut alvum institutæ ac ipsæ cruentæ critice & cum euphoria eventientes, ita ut æger conversionem istam morbi in statum meliorem ipse sentiat, & lætus fateatur. Itaque in hac Pathologiæ parte nihil novi afferunt Stahliani, sed potius recte tradita pervertunt, & confusionem pariunt. Interim Cel. Stahlio non denegamus honorem, eum in aliis Pathologiæ partibus Medicinam multum illustrasse & ab inanibus tritis repurgatam reddidisse. Sed cum toties Medicos præmoneat, ne nimium tribuant

tribuant hypothefibus receptis Philofophicis nova hypothefis de Anima rationali actus vitales moraliter peragente, ipfosque morbos in bonum finem producente, tanquam novum Eridos Pomum in Scholas Medicas non fuiffet immittenda.

§. VIII.

Perftat ergo firmum ac perpetuum, *morbum effe id, quod actionem unam aut plures in corpore laedit primo & immediate.* Ex actione autem, quæ primo læditur, viciffim agnofco fedem morbi, in qua parte ifte hæret, e. g. quando homo antea rite valens, de refpirationis negotio læfo fubito conqueritur, apparet ftatim fedem mali effe in thorace. Verum ut in fpecie appareat, quis morbus adfit, & quomodo pars labefactata afficiatur; *figna magis fpecifica, quæ cuilibet morbo propria funt, & propterea Diagnostica dicuntur, fcitu funt neceffaria.* Hæc autem non ex Hypothefibus Philofophicis adifcuntur, fed ex iis, quæ Natura nobis fponde offert, indicium. Quilibet enim morbus pro diverfa fua indole, diverfas in corpore producit mutationes; imo idem morbus pro diverfa partis natura, in qua fedem naftus eft, alia mala concomitantia habet, & quidem ex neceffitate, ita ut præfente ifto morbo, neceffe fit iftas confequi mutationes, quæ Medicis propterea fymptomata vocantur, quoniam morbum iftum & partem affectam concomitantur aut fequuntur, tanquam effectus fequitur fuam caufam. Sic e. g. *Catarrhus fuffocativus, Pleuritis, & Peripnevmonia* morbi funt Pectoris, & refpirationis negotium lædunt. Sed refpirationis læfio ex Catarrho fuffocativo aliis ftipata eft fymptomatibus, longe aliis contra quæ ex Peripnevmonia & præprimis Pleuritide, tanquam inflammatorio Pulmonis & eum prope adfitæ Pleuræ affectu, pronafcitur. Peripnevmonia enim & Pleuritis dolorem acutum igneum adjunctum habent, adeoque non permittunt ut thorax ac Pulmo rite dilatentur, hinc brevis ducitur fpiritus, fed quoniam ifte corpori non fufficit, acceleratur actio, & magis frequens redditur refpirationis negotium. Præterea *anti omnis inflammatio gravior, fic etiam Pulmonis ifta comitem*

tem habet ardentem febrem, & Pleuritis in specie ob membranam pleuram simul affectam pulsum durum in Arteriis excipit. In Catarrho contra suffocativo ipse inspirationis actus non impeditus sed potius auctus est: nam quoniam dolor ille acutus deficit, summo nisu extenditur Thorax, & respiratio profunda exercetur cum frigore conjuncta; sed pulmonum vesiculae receptioni aeris dicatae, quoniam viscido muco infarctae sunt, sufficientem aeris copiam admittere nequeunt, adeoque suffocationis sensus imprimitur aegroti. Hac cuilibet morbo singularia aut specifica sunt symptomata, ad sunt tamen & alia ipsis communia; & quidem 1) Tussis, quae tamen non proprie fluit ex indole horum morborum, sed potius ex natura partis affectae; quoties enim Respirationis organa a re peregrina molestantur, in convulsivum istum motum abeunt, & tussin concitant. 2) Ob partis conformationem, & patulum asperae arteriae canalem consequitur excretio materiae morbificae: sed illa ipsa materia rursus differt; nam in Catarrho suffocativo albicans est & viscida & ob visciditatem pauca; in Pleuritide ac Peripneumonia copiosior & plerumque magis coacta apparet, sed striis sanguineis distincta.

§. IX.

Habet itaque quilibet morbus certa & sibi propria Symptomata, quae partim ex ipso loco affecto, partim vero ex ipsa morbi indole consequuntur, & quidem ex necessitate. Atque haec symptomata quoniam morbum quaelibet suum semper comitantur aut consequuntur constituunt *signa Diagnostica certa ac infallibilia ex quibus ad morbum*, non aliter ac ex effectu ad causam, *tuto argumentari licet*; Praeterea ex praedictis exemplis constat, non in omnibus morbis sufficere unum signum, ut plerumque vulgus & Medici in his imperiti judicant & ex uno signo sive symptomate de quo aeger praecipue conqueritur, statim morbum determinant, aut illud Symptoma pro ipso morbo assument, vel si plura Symptomata adsint, totidem morbis aegrotum laborare vanissime sibi persuadent. Nam in multis morbis complexus quasi signorum requiritur, ita ut si unum illorum desit, certus esse possis, morbum istum, qui

qui vel ab agrote vel aliis pratenditur, non adesse. Contra vero alii morbi occurrunt qui per se in sensus incidunt adeo manifeste, ut artificiosa exploratione non indigeant, & propterea ab ipso etiam vulgo recte dignoscantur, ut Hydrops Ascites, Epilepsia, Apoplexia, Icterus, Febres intermittentes &c. Nam quamvis nonnunquam huic aut alteri individuo superveniant quaedam nova symptomata, sive ob animi affectus, sive ob praposteram medendi rationem, non tamen illa perpetua sunt adeoque tanquam adventitia & peregrina facile a Medico, qui praesentia cum antecedentibus prudenter componere novit, discernuntur; *contra vero illa symptomata, quae ex necessitate morbum comitantur, omnibus & singulis agrotis eodem morbo laborantibus insunt* sive hic loci sive in Gallia, Italia aut alibi degant, prouti Historiae & observationes Medicorum id testatum faciunt. Itaque Medici in Historia Morborum periti (nam de imperitis hic sermo non est) hallucinari in Diagnosti morborum non possunt, *sed habent universalia axiomata sive signa morborum certa & perpetua, quae morbum quemlibet ex necessitate comitantur, ita ut ex istis tuto ac demonstrative ad morbum tanquam ab effectu ad causam concludere liceat.* e. g. *Quicumque agrotus omnia signa obtinet, quae Pleuritidem omnem & semper comitantur, ut sunt Dolor lateris acutus, Respiratio angusta & frequens, Febris ardens continua, cum pulsu duro, Tussis cum excretionem cruentae materiae vel striis sanguineis distinctae, illum laborare Pleuritide.*

§. X.

Itaque quod Diagnostin Morborum attinet, habet Medicus Principia 1.) *Universaliter Vera.* 2.) *Evidentia*, quoniam non solum manifeste in sensus incidunt, aut ab agrotis facili negotio explorari possunt, sed etiam ex indole morbi & partis affectae necessario consequuntur ut §. VIII. ostendimus. 3.) Principia illa sunt *Prima*, quippe quae in animo Medici praexistunt, toties ab aliis jam, aut etiam a nobis ipsis exper-

ta; ac denique 4) sunt *Proxima* ac *Immediata*; ut ex iis demonstratione directe fluat, &, qualis præsens ægroti status sit, apodictice evincatur. Et sane in hac re omnes Medici Docti & in Historiâ morborum periti conveniunt, nec dissentire possunt, nisi forte aliquis Charlataneriæ deditus, ex contentionis & contradicendi studio aut clandestinis criminationibus gloriam sibi captet, quales tamen nefarias ac fraudulentas artes, in propriam illorum, qui talibus utuntur, ignominiam ac confusionem recidisse, aliquoties sumus experti. Medici ergo periti de genere morbi dissentire non possunt; Verum cum latius abeunt & Philosophos agunt e. g. si de causa immediata Pleuritidis sive inflammationis in pectore differunt, pro diversitate suæ hypotheseos, alter acidum coagulans, alter particularem figuras accusabit, quod ex sphericis inæquales & polyedra reddita sint, aut in duobus planis coheserint, sicque transitum invenire per minimos meatus non potuerint. Tertius ad Animam rationalem causam referet quasi illa ob plenitudinem molita sit sanguinis aliquam per pulmones excretionem &c. quod ipsum dum agunt, necesse est, in vanas disceptationes, nihil ad rem pertinentes, Medicos secedere. Dico ad rem non pertinentes; Nam 1.) hæc principia dubia adhuc sunt & controversa 2.) nimis remota sunt, extra limites artis posita, quoniam neque ad diagnosis morbi, neque ad medendi methodum quicquam conferunt. Ponamus enim in Cajo particulas sanguinis sphericas factas esse polyedras, anne propterea necesse est, cum laborare pleuritide? sic etiam non constat ratio quomodo ad pristinam rotunditatem denuo reducendæ sint. Si autem Anima Rationalis Pleuritidis Autor existit, non immerito quæro, cur non potius per nares aut hæmorrhoidales venas, tanquam loca magis apta, excretionem sanguinis molita sit, si hoc agit ex Proæresi? dicis eam aberrare posse. Sed anne propterea melius dignoscis Pleuritidem? Aut noris quomodo error iste corrigendus & naturæ negotium in ordinem redigendum sit? minime gentium. *Medicina enim*, ut Perspicacissimus Baglivius (*) loquitur,

(*) Prax. Lib. I, Cap. I,

quitur, non ingenii humani partus est - - non ex probabili
hypothesi remedia adhibens, sed ab Artis divinae prescriptis,
longo usu approbatis, quemadmodum id nunc plenius ex se-
quentibus constabit.

§. XI.

Ostendimus supra morbos laedere actiones corporis vita-
les vel animales, unum aut plures, quod dum faciunt, in de-
structionem corporis tendunt, ita ut vel subito mors conse-
quatur, vel certe lento pede vitae fruuntur insidia. Sed cum
Summum Numen non voluerit, ut quilibet morbus vitae finem
inferret, hinc certas potentias, molimina, motus aut cona-
tus salutaris, ut Medici eos vocant *Naturæ Humanæ* imo
& *Brutorum impressit*, quibus id quod vim corpori infert,
rursus mutetur, expellatur, & partes læsæ corrigantur ac
in integrum restituantur. Id quod manifesto apparet in ru-
ricolis ac istis qui duram ac parcam vitam vivunt, ut proprio
Naturæ ductu sine ullis medicamentis ex gravissimis morbis
nonnunquam eluctentur. *Atque isti motus & conatus salu-
tates pro diversitate morborum variant.* Nam e. g. in febri-
bribus omnis generis observamus, quod exclusio materiæ
morbificæ fiat ordinario per poros cutaneos mediante largo fu-
dore. In Chronicis contra morbis, ac istis, in quibus organa
ob tonum sive robur debilitatum humores minus prompte
propellunt, & isti ob lentum per corpus motum inspissati ac
viscidi magis redditi sunt, successive per urinarias aut alvinas
vias, id ipsum quod molestiam Naturæ afferebat, excerni
constat; quoniam crassum sæculentum per poros angustos
cutaneos expelli nequit. Si autem pars quæ laborat, vias
magis proximas & immediatas obtinet, per quas exclusio ma-
teriæ morbificæ fieri potest, per illas excretionis negotium mo-
litur Natura, aut eos simul in auxilium advocat; salutari ut-
plurimum eventu. Sic mucus pulmonum per asperam arte-
riam excernitur, Catarrhi caput infestantes per nares aut pa-
latum, aut denique ipse sincerus Sangvis, cum nimium abun-
dat, & in vasculis contineri amplius nequit, per nares, ute-
rum

rum aut hæmorrhoidales venas propellitur, cum leuamine agroti, aut etiam in recte valentibus quouis menstruo tempore vel certe per intervalla repetitur, ut in sequiori sexu aut istis qui hæmorrhoides regulariter patiuntur, observamus.

§. XII.

Est autem horum motuum sive conatum salutarium Principium ipsa Natura, quæ mihi non est sapiens quoddam Phantasma quacunquæ vagans & consilio singula dirigens, ut cum Baglivio loquar (*), sed complexus quidam generalis motuum vitalium in corpore nostro, qui, licet consilio destituantur, tamen juxta leges a Summo Conditorum inditas tam accurate peraguntur, ut quasi summo consilio regi videantur. Consistunt autem istæ leges, 1) In energia Principii istius Motus, quod per cerebrum ac nervos fertur, & Medicis spirituum animalium aut fluidi subtilissimi nervei nomine venit. Hujus enim impetu & elastica virtute partes solidæ omnes, non voluntariæ tantum, sed & reliquæ actibus vitalibus inservientes, concitantur ad motum, hæc vero vicissim fluida corporis reliqua impellunt, ut rite per corpus ferantur. 2) Consistunt illæ leges in aptitudine harum partium, non tantum mechanica, ut quodlibet organon passive ad effectum, quem vi structuræ suæ edere debet, concurrat, sed etiam active, quatenus interno robore fibrarum motricium instructum, quo id quod in sanguine præter naturam existit, ad circulationem vel vitæ conservationem ineptum, pressorio isto partium motu fortius impellatur, urgeatur, discontinuetur, donec non tantum aptum reddatur exclusioni, sed etiam successive ad illud corporis emunctorium deferatur, quod ob fabricæ suæ conditionem idoneum existit, ut præternaturalem istum humorem transmittat, per suos poros secretiores transprimat, & porro ad exclusionem insito constrictorio motu promoveat. Quodsi tamen tam cito materia morbifica expelli nequit, nonnunquam in locum præ ceteris debilem & robore fibrarum destitutum deponitur, prouti in acutis, præprimis febribus conti-

(*) Prax, Lib. II, Cap. I.

tinuis, quæ subito ad finem decurrunt, observamus, unde tumores, parotydes, surditates, intumescentiæ œdematosa in pedibus consequuntur, cum morbi præcedentis quidem solutione, sed speciali partis ad vitam non adeo necessaria damno, interdum diuturno aut perpetuo, interdum brevi cedente, postquam nempe pars pristinum robur recuperavit, & materia vel per suppurationem vel alias vias est exclusa. Sic nullus Pleuriticus moritur, qui Parotydes aut dolores circa genua vel pedes experitur, ut Baglivius ex Hippocrate monuit (*) & ipse æque ac Excellent. Dn. Præses aliquoties observarunt.

§. XIII.

Atque hæc ea Natura est, de qua intelligendum, quod dicitur: Naturam esse optimam morborum Medicatricem; Eam esse Medicorum Magistram; Medicos vero Naturæ Ministros; Conatus Naturæ salutaris non esse turbandos &c. Certe Medicus qui perspectos habet Naturæ motus salutaris, quibus illa utitur ad cujuslibet morbi extirpationem, is dubium animum ad Artis exercitium afferre aut in ipso opere aberrare nequit. Haurit autem istam notitiam Medicus non ex Hypothesibus Philosophicis, nec ex Contemplatione Animæ Rationalis, ut Stahliani nobis persuadere cupiunt, sed unice ex Historiis morborum sive observationibus illorum qui præ cæteris in Arte Medica fuere versati, ut sunt Aphoristica scripta Hippocratis, Coacæ prænotiones, Galeni Methodus Medendi, Duretus, Hollerius, Septalius & ex recentioribus vel recentissimis scriptoribus Sydenhamius, Waldschmidius, Baglivius, Stahlus, Junckerus, Hoffmannus, & in sua Historia Morborum Medici Vratislavienses. Nec possumus non laudare nuperum Observationum scriptorem Pelargium ob methodum medendi naturæ Legibus superstructam, & rem Medicamentariam selectam, contractam, fidam, totiesque optato eventu expertam, omnibus merito commendandum. Optarim tamen, ut pro ea qua pollet mentis & iudicii perspicacia, nobis loco singularium observationum, secundum monita ac exemplum Baglivii Aphoristica magis collectiones traderet, quippe quæ solæ scientiam pariunt, & certitudinem ac Majestatem

C

(*) Prax. Lib. I. Cap. IX. de Pleurite.

statem arti conciliant. Itaque cum Natura non solum sibi relicta nobis vias premonstret, quid in quolibet morbo agendum, sed etiam Ars eandem Methodum toties cum salutari eventu imitetur, hinc Medicus qui hinc innititur & ex iis operationem aggreditur, non utitur principiis dubiis incertis fallacibus, sed veris evidentibus ac proximis, ex quibus ratio operandi sive Methodus medendi immediate ac demonstrative consequitur, Hinc nec ipsa Medicina ars conjecturalis dici potest, quippe quæ hic conjecturis non indiget, sed certis datis, perpetua naturæ lege evenientibus, & propterea vera axiomata constituentibus inhaeret, & exinde Medici operationem determinat. Nec officere certitudini Medicinæ potest, quod Medici adhuc dissentiant an motus morbosi, aut medicamentorum in corpore effectus ex principiis mechanicis explicandi, an ad animam rationalem referendi sint, non enim Philosophicæ istæ disceptationes ad artis exercitium pertinent, prouti id solide etiam demonstravit (*) Cel. Schacherus. Est enim hic Artis nostræ eadem ac Astronomiæ ratio, cujus quippe Cultores etiam inter se differunt, an Sol, an Terra in circulum circumgyretur, nec primas causas motuum regularium, quos in stupendis istis corporibus observamus, explicare norunt. Interim in suis calculis, quando & quales sunt futura Eclypses aut Planetarum conjunctiones accurate conspirant. Ars enim ista innititur perpetuis observationibus, adeoque certa data & axiomata universalia subministrat ex quibus Astronomi suum calculum certo & plane demonstrative deducere valent. Itaque & Medicus, qui per se habet morbi facientes, sive ab Anima rationali ex proarsu, ut Stahliani docent, instituantur, sive ex causis plane naturalibus fluido nimirum nerveo, & Organorum fabrica pendeant, habet certa data & axiomata, quibus si innititur & operationem exinde instituit, aberrare in Artis exercitio nequit. Certe non casu, non fortuna hic quidquam fieri, sed motus istos salutaris certa Naturæ lege absolvi, & ad morbi extirpationem necessarios esse, vel ex eo apparet, quod quoties vel ex imperitia Medici,

(*) In Diss. de Recto Rationis atque Experientia: usu in Praxi Clinico Forensi. Lipp. 1723.

vel circumstantium præposteris consiliis, aut ipsius ægroti morositate aut impatientia conatus naturæ laudabiles, vel sponte consequentes, vel arte provocati, turbantur, aut impediuntur, sine mora vel eger occumbat, vel in graviora mala præceps ruat. Juvenis vegetus acrobustus, cum febris ardens continua qua laboraverat, præcedente die per criticam sudoris evacuationem esset debellata; postero die lenem de novo experiens sudorem, è lecto surgit, & pedes marmoris frigido imponit, sed mox horrore correptus, in tantum subito incidit suffocationis periculum cum aponia conjunctum, ut extrema imminere viderentur. Ex quo periculo tamen ereptus est, postquam diaphoretica & resolventia propinata, actu calida plantis pedum admota, & vesicatoria suris applicata sunt. Rediit enim post aliquot horas sermone usus, & liberior spiritus ducebatur. Supererat tamen anxietas circa præcordia cum gravitatis sensu conjuncta, als wenn ein Stein da lege, quæ cum etiam postero die persistant, leni emetico propinato, non exiguam sanguinis nigricantis & coagulati copiam vomitu rejecit, sicque cum sanitate in gratiam rediit.

§. XIV.

Plura hujus generis exempla afferri possent, nisi jam ipsi vulgo constaret, conatus naturæ salutare ut sunt excretiones sudoris, alvi, imo ipsius sanguinis, vel non vel certe non subito in ægrotis sistendos esse, cum sanitatem plerumque comitem habeant aut portendant. Sed dicis: Si Natura sponte hæc agit, & materiam morbificam pro diversitate morborum ad certas leges, certo dierum intervallo, per certa emunctoria expellit; & quidem sibi relicta, sine ullo Medicamentorum usu, inutile plane esse Medicorum opem implorare, aut medicamentis uti, sed tutius esse soli naturæ relinquere negotium. Et fateor sane, quando natura suum negotium rectè exsequitur, ita ut omnes motus, qui in morbo secundum consuetas leges expectandi sunt, consequantur, Medicum in tali casu non tantummodo spectatorem agere posse, sed etiam debere, aut si quid concedendum impatientiæ ægroti, talia ordinanda esse, quæ vim Naturæ nullam inferunt. Non enim conatus Naturæ salutare turbandos esse, jam observante divino Hippocrate, omnium Doctorem unanimes persistat sententia. Sciendum tamen,

tamen, Naturam non in omnibus pollere equali energia sive robore, adeoque interdum non sufficere, ut motus ad exstirpationem morbi facientes iusta cum efficacia exerceat aut absolvat, sed succumbere morbi violentia, ita ut actus vitales ac depuratorii debilius aut nimis lente procedant, quod in istis qui vitam mollem ac sedentariam otiosam vivunt, & fluxo sive laxo corporis habitu præditi sunt, item in plerisque morbis chronicis, quippe in quibus solidorum tonus debilis existit, & fluidorum motus impeditus est, præprimis experimur. Facile ergo elucet, in talibus subjectis excitandam esse Naturam & motus vitales ac depuratorios augendos vel accelerandos. In quibusdam contra subjectis naturæ robore pollentibus motus plane irregulares sive erronei ut Medici loquuntur, i. e. morbi indolent non convenientes, & propterea non ad salutem, sed interitum tendentes observantur, sive quod animi affectus in culpa sint, ut cum æger instantem mortem examinato nimis animo metuit, sive quod adstantes aliquid turbaverint, sæpe moleste seduli, & nimia culcitrarum impositione, aut fornacum igneo calore, motus in agrotis inordinatos, intempestivos sudores, congestiones humorum versus caput, aliaque mala afferentes. Itaque Medici officium esse, ut inordinati isti motus ad justum ordinem redigantur, nemo prudens negabat. Puer Nobilis, octo annorum, facie ac indole admodum hilari, corripitur Pleuritide, quam statim insequitur tam vehemens delirium, ut vix à quatuor personis sub stragulis contineri posset, nec liquida admitteret, quamvis sitibundas fauces lingua arida ac squalida satis testaretur; in eoque statu per 24. horas perseverat, cum Excell. Dn. Præses advocatus, ut congestiones sanguinis a capite ac pulmonibus averteret versus inferiora, ad imitationem Naturæ, quæ nonnunquam sponte & subito materiam morbificam in Pleuritide cum salutari eventu ad Pedes transmittit (*), duo vesicatoria suris applicat, adeoque prospero successu, ut mens post aliquot horas rediret, & ipsa Pleuritis intra septendium solveretur. Porro observamus, quod motus Naturæ depuratorii, excretiones nempe sanguinis vel sudoris &c. interdum modum excedant ita ut non ad salutem sed interitum agroti tendant; id quod ex viribus agroti & totali prostratione

(*) Vide supra §. XII. in fine.

fione actuum vitalium ac animalium astimandum ut Hippo-
 crates jam monuit Aph. l. 2. *Hos itaque conatus, cum itidem erro-*
noi sunt, subito sistendos esse, nemo negare poterit, nisi qui agro-
tum sub manibus perire, quam ex arena consilium capere ma-
vult. Puerpera quinta post partum septimana hamorrhagia ute-
rina corripitur, jam diu ante partum ex inedia debilitata. Ac-
cessit Excell. Dn. Præses, invenit eam viribus omnibus exha-
stam, cum pulsu frequenti & debili, imo vix perceptibili.
Sine mora ergo hamorrhagia suffumigio quodam sup-
primitur, pulsus febrilis & debilis per sequens triduum perma-
nebat, & facies ac præprimis nares, sanguine exhausti, ita albi-
cabant, ut instar ceræ albæ pellucidi apparent. Nihilomi-
nus cum per tot hebdomades nil ciborum præter potum cere-
visiæ secundariæ admitteret, infantem tamen lactare perse-
verabat. Quarto die circa vesperam sudor supervenit colli-
quativus frigidus, per integram noctem durans, cum par-
tium rigiditate, qualis in morientibus esse solet, & sensuum
*omnium tali imminutione, quæ ad *diversitatem* fere accedebat,*
conjunctus. Summo mane ad Excell. Dn. Præsidem accurri-
tur, & an nihil præsidii amplius supersit interrogatur; jubet
iste ut lectum mature in propinquo sternerent, probe calefa-
ctum, reliqua se curaturum. Adveniens moribundam eam
cum facie Hippocratica, frigidam rigidamque reperit. Itaque
subito ex madidis sordidisque exuviis extractam, nudam ri-
gentemque in prope adstantem lectum immittendam præce-
pit, adventu adeo exoptato, ut post aliquot horas ad se rediret,
& cautiore reddita infantem, quem misere hæctenus aluerat,
nutrici traderet curandum. Medici ergo præsentia necessaria
est, partim ut prospiciat, cum omnia recte se habent, ne ali-
quid ab imperitis intempestive moveatur, partim vero ut de-
ficietes naturæ motus excitet, vel erroneos in ordinem re-
ducatur, & denique nimios moderetur vel compescat.

§. XV.

Necessè ergo est, ut Medicus perfectos habeat motus na-
 turæ salutare, quales ad extirpationem cujuslibet morbi or-
 dinarie requiruntur. Hoc autem non ex Animæ Rationalis, nec

nec ex nimis curiosa particularum minimarum, quæ tanquam causa morborum accusantur, contemplatione addiscitur, sed ex Natura libro, ex observationibus circa lectum ægroti institutis, & ab aliis jam ante nos toties comprobatis & expertis. Qui enim toties cum salute ægroti observati sunt motus, axiomata certa constituunt, quibus si inhæret Medicus, suarum rerum certus esse potest, quemadmodum supra jam ostendimus. Ut contra iste, qui certas hypotheses, de morbis eorumve causis sibi fingit, non potest non innumeris modis in miseros peccare ægrotos. Certe quomodo febres cum intermittentes, tum continuæ, vel simplices, vel malignæ exanthematicæ, &c. tractandæ sint, & quid denique sibi postulent symptomaticæ ex fidis cum Veterum tum Recentiorum monumentis satis nunc constat, licet nemini Medicorum perspectum sit, quid proprie febris sit, aut quomodo minimæ particulæ sanguini innatantes pro diversitate febrium inter se differant. In symptomaticis eequidem ad causas attendum, non vero obscuras istas, sed ad manifestas, vel per se immediate in sensus incidentes, ut sunt vulnera, ulcera, abscessus, vel per experientiam olim compertas, & ex ægrotis explorandas e. g. Matrona IVto mense gravida, hæmorrhagiam uterinam, mox etiam abortum patitur, quo factò cum nihil vel cruoris vel purgamentorum ex utero amplius secederet, corripitur febre continua, æstus in dies augetur, & die octava ac nona conqueritur de igneo dolore instar carbonum uteri regionem affligente. Medicus, nullam horum rationem habens, præter mixturas ex aquis refrigerantibus & diaphoreticis fixioribus ac pulveres Nitratos nihil præscribit. Decimo die advocatus Excell. Dn. Præses, ostendit febrem esse symptomaticam & ex putredine in utero hærente originem ducere. Præscribuntur ergo pellen-tia balsamica, & eo ipso die excluditur materiæ purulentæ ac cruentæ copia, & ecce in momento cessabat febris, nec ullum sui vestigium relinquebat, nisi quod vires ægrotæ maximo-pere essent prostratæ; Hac ratione autem omnes puerperarum febres, cum Lochiorum fluxus suppressus est, curari postulant, cum contra regimen sudoriferum in tali casu plusdamni, quam emolumenti afferat.

S. XVI.

Sic etiam in reliquis morbis, qui sine febribus eveniunt, cum acutis tum chronicis, non tantopere attendendum Medico est ad particulas excrementitias praternaturales, quæ sanguini innatant, quæque morbum immediate producant. Corpus enim humanum nunquam destituitur peregrinis corruptis excrementitiis, biliosis, muriaticis, acris &c. particulis. Sanguinis enim partes successive a statu naturali degenerant, corrumpuntur, & corpori nocivæ evadunt. Sed quamdiu Natura depurationis negotium per Hepar, Renes, poros cutaneos, alvum &c. iuxta proportionem exercet, nullam noxam istæ corpori inferunt. At quamprimum in uno aut altero secretorio organo depurationis negotium non rite procedit, ita ut particula excrementitiæ corruptæ, quæ per illud organon secretorium excernendæ erant, in corpore abundant, & copia sua molestæ evadant, ac circulationem sanguinis vel in una parte vel in toto corpore impeditam reddant, tum vero necesse est morborum consequi. Facile ergo elucet, Medici negotium non tantopere in eo versari, ut accurate dignoscatur, quales sint illæ particulae, quæ sanguini aut parti laboranti inhaerent, sed potius quomodo & per quas vias, id quod abundat, e corpore sit eliminandum. Non potest autem corruptas sanguinis particulas eliminare Medicus, nisi actus Naturæ depuratorios languentes aut impeditos excitet, & augeat, adeoque necesse est, ut advertat ad istas causas manifestas & evidentes quæ Naturam impediunt, aut suarum rerum negligentem reddunt, quo minus depurationis negotium iuxta Energiam peragat. Qui enim ad istas causas non respiciunt Medici in Morbis chronicis, aut periodicis, illi Andabatarum more pugnant, & mox in acidum coagulans aut corrosivum, mox in acrem lixiviosum, aut in tartareum crassum, vel Lienis, aut glandularum mesaraicarum obstructions, sanguificationem vel spirituosam sanguinis læsam, figuras irregulares particularum, aut in duobus planis coherentium &c. culpam transferunt, adeoque miseros agrotos per tot sæpe annos frustra medicamentis torquent, modo in hanc modo in aliam causam directis, inani non tantum conatu, sed sæpe maxima

maxime damnoſo, dum irregulari iſta mōdendi ratione ſape nova aut longe graviora mala in ægroto excitantur, ita ut nec ipſe, nec Medicus, in his auguſtiis conſtituti, qvo ſe amplius vertant, neſciant, ſed inſtar debitoris, qvi in concuſſu creditorum de rebus ſuis deſperat, ſpartam deſerant, & vel Medicus ægroto trifti ſuo fato relinqvat, vel hic nullis præceptis amplius obtemperans, omnia pro lubitu agat, ſicque exitum ſibi eo certius celeriusque conciliat.

§. XVII.

Sunt autem cauſæ illæ evidentes duplicis generis, quarum alterum comprehendit eas, quæ corpori naturaliter inſunt, & προηγεμενα dicuntur efficiuntque ut alter homo ad hunc alter ad alium morbum magis inclinēt, aut à cauſis externe advenientibus facilius afficiatur, ut ſunt Temperamentum, Partium habitus laxus, vel ſtriētus aut vitioſe conformatus, Ætas, ſexus, hæreditaria ad morbos diſpoſitio. Iſtæ enim cauſæ vel ſponte in ſenſu incidunt, vel facili negotio ab ægroto explorantur, e. g. an a parentibus Phthiſicis ſint progenerati. Quemadmodum autem iſtæ cauſæ corpus prædiſponunt, ut ad certos morbos magis pronum ſit, ſic cauſæ externe advenientes, aut quæ per vices ab hominibus peraguntur aut negliguntur, Procatartica ſive occaſionales dictæ, occaſionem præbent, ut interna in actum deducantur, aut cum iſtis in tertiam ſive immediatam cauſam degenerent, & ſic morbos non tantum producant, ſed etiam ſuſtinent ac ſovent, ut ſunt præprimis res Non-naturales dictæ Aër, Cibus & Potus, Somnus & Vigilia, Motus & Qvies, Animi Paſſiones, Excernenda & Retinenda. e. g. Excretiones ſanguinis, Sudoris, Urinæ, Seminis &c. ſi nimia fuerint vel juſto frequentiores aut imminuta vel penitus ſuppreſſa; & iſtæ cauſæ itidem vel ſponte ſenſibus patent, aut ex ipſo ægroto facile expiſcantur. Quibus porro accedunt Cauſæ contra-Naturales, Venena, Contagia, Inſtrumenta lethalia &c. de quibus omnibus latius videantur inſtitutionem Scriptores, non enim præſens inſtitutum permittit, totum hoc negotium exhaurire. Sufficiat majoris elucidationis ergo in exemplum adducere, Morbos ex ſeroſa colluvie pronatos, ſive in toto Cor-

pore ista abundet, five in certa quadam parte accumulatur, ut sunt Anasarca, Leucophlegmatia, Hydrops Ascites, Morbi Soporosi, Apoplexia serosa, Catarrhus Suffocativus &c. In his certe morbis ne quidem causa immediata nos latet, quæ morbos illos producit immediate, nempe serum superfluum ac plus minus viscidum, cui alia particula corrupta acres muriaticæ forte innatant. Sed ut superius jam monui ad causam morborum immediatam non tantopere attendendum est Medico in Chronicis aut facile recurrentibus five periodicis, sed necesse est, ut respiciat ad causas istas præcedentes, præprimis occasionales five diæteticas, quippe quæ, quamdiu persistant, immediatam istam semper de novo producant, adeoque diurnos reddunt istos morbos aut sæpe perpetuos. Quid enim juvat e. g. aquas hydropicorum educere, si æger quotidiè plus ingurgitat, quam medicamenta educere valent. Certe non ob artis impotentiam isti morbi tantopere inter scandala Medicorum referri merentur, sed ob perverfos præprimis ægotantium mores, quippe qui ita coerceri non semper se patiuntur, ut non de novo in Rebus non-Naturalibus five regulis diæteticis delinquant. Id quod eleganter pro more suo expressit Medicorum Cicero Celsus, de Hydropse ita differens: *Facilius in serois quam in liberis tollitur; quia, cum desideret famem, sitim & mille alia tedia, longamque patientiam, promptius iis succurritur, qui facile coguntur, quam quibus inutilis libertas est.*

§. XVIII.

Ut autem magis distincte appareat, quomodo ex concursu causarum, quæ homini naturaliter insunt, & occasionalium, morbi mox enumerati producantur, quilibet facile agnoscat, Hominem Temperamento Phlegmatico & corpore fluxo præditum, natura præ cæteris pronum esse ad morbos prædictos ex serosa colluvie originem ducentes, imprimis postquam accessit ætas senilis: Nam cum hoc temperamentum actus vitales ac depuratorios naturaliter minus prompte expediat, necesse est in senibus energiam istam naturæ adhuc magis reddi imminutam. Quod si senex talis a Parentibus genitus est, qui apoplexia, Catarrho Suffocativo aut Hydropse laborarunt vel

D

perie-

perierunt, etiam specificè ad istum morbum, qui patri vel matri fatalis fuit, proclivis erit. Et hæc sunt causæ internæ, quæ tamen per se non necessitant, nisi occasionales sive Diæteticæ accedant, & aliquem ex prædictis morbis, junctis quasi viribus producant. Ponamus enim senem istum Phlegmaticum ob lautam rem familiarem genio largius indulgere, ita ut quamvis non æque voracitati ac ebrietati studeat, plus tamen eduliorum ac imprimis potulentorum quotidie assumat, quam Natura per consveta emunctoria rursus excludere valet. Necessario tunc humiditatem in corpore augebit, & partium totum sive robur, quod naturaliter in talibus subjectis laxum ac debile est, adhuc magis infringet, ex quibus consequitur motus humorum imminutus, ex imminuto vero motu eorum spissitudo & ad subsistentiam sive stasim proclivitas. Quod si porro Senex ille otio penitus se tradit, & vitam sedentariam agit, præterea non tantum integram noctem somno transigit, sed etiam horas aliquot pomeridianas somno impendit, eo certius citiusque periculum imminens provocabit. Quibus cum forte superveniat moror profundus, vitales quippe actus sufflaminans, & tandem superpondii loco aeris temperies humida, frigida, ac turbida autumnalis, quippe quæ corpora adhuc magis humectat ac dissolvit, non mirum est senem istum in unum aut alterum ex prædictis morbis incidere, & quidem subito interdum, cum omnes causæ in detrimentum ejus conspirent.

§. XIX.

Quemadmodum autem causæ istæ cum internæ naturales tum externæ occasionales diæteticæ ad tales morbos disponunt, ita ut Medicus Clientes suos, qui salutem suam ipsi crediderunt, præmonere possit, ne sibi isto vitæ genere, vel Hydrophis tadia, vel præmaturam ex Apoplexia aut Catarrho suffocativo mortem accelerent; sic vice versa, cum aliquis nobis olim ignotus, ejusmodi morbos patitur, facile ex effectu concludimus ad causas præcedentes. Et quidem Temperamentum ac corporis habitus, ætas, constitutio item aeris, qualis præcesserit, aut adhuc perseverat, satis per se constant; reliquæ vero

vero ab aegrotis aut adstantibus levi negotio explorantur; quomodo scilicet haecenus vitam instituerit, aut si quid forte ultra modum in hisce deliquerit quod morbum acceleravit. Itaque examen circa causas manifestas necessarium est Medico; nam quamvis per experientiam constet, quomodo quilibet morbus tollendus sit, ut supra monuimus, causarum tamen illarum evidentium notitia magis specificè Medici actionem determinat, ut & felicius medeatur praedictis morbis, & à futuro accessu praecaveat, & quidem in praesenti negotio (*) *Vita genus corrigendo* quod ipsum nisi feceris, frustra pugnabis contra serosam colluviem in toto corpore, vel in parte quadam accumulata. Sic Excell. Dn. Praefes quondam Virum primariae dignitatis sexagenarium, habitus succi pleni & Sanguineo phlegmatici, curae suae commissum habebat, qui cum vitam ad supra designatam rationem institueret, intra sexennium quotannis autumnali tempore comate somnolento, & linguæ aliquali impotentia corripiebatur, & quamvis violentia morbi brevi infringeretur, mentis tamen aliqualis stupor & in somnum proclivitas restabant. Verum & hæc mala plerumque circa Hyemis initium, cum boreales venti atmosphæram nostram exsiccant ac serenam reddunt, ac ipse aeger per aliquot

D 2

quot

(*) Nobis hoc loco sermo est, quomodo ex naturali causarum cum internarum, quæ *πρὸς τὸν ἐνὸς* dicuntur, tum externarum sive pro catarticarum nexu serosa colluviem & exinde morbi soporosi Apoplexia &c. progredientur. Quo ipso tamen non negamus ejusmodi morbos non posse in Sanguineis aut aliis Plethoricis & quidem ex plane aliis causis pronasci, ex crapula, ex contusionibus capitis, ex ulcere pedum antiquo subito sanato &c., potius ex istis confirmabitur animus lectoris, Medico scilicet non attendendum esse tantopere ad minimas particulas quæ immediate e.g. Veterum aut Apoplexiam producunt, cum parum intersit scire, quid illic hæreat, sed quomodo id, quod in partibus nobilissimis & brevi exitum afferentibus, præter naturam hæret, aut illuc congeritur, ad alios ignobiliores averatur, aut penitus e corpore educatur, & quidem quantocius per Venæ sectiones, Vesicatoria, fonticulos, trepanationem &c., hoc autem non ex contemplatione particularum minimarum, nec Animæ Rationalis moraliter aut erronee hic agentis addiscitur, sed partim ex indole morbi, & Natura partis affectæ, partim vero ex causis illis manifestis consequitur, & diu per experientiam constat.

quot hebdomades exacte morbis obtemperasset, plenarie cessabant. Sed vix cum sanitate in gratiam redierat, cum successive in pristinam toties rueret consuetudinem, & quidem eo magis pro animo, quoniam nihil damni per reliquum anni tractum exinde percipiebat. Septima tamen vice circa exitum ætatis, eodem morbo correptus, impetum quidem ejus brevi fractum experiebatur, sed quoniam nihil a consveta vivendi ratione remittere volebat, stuporem Mentis & Sermone impotentiam retinebat, ac languentem vitam ad hyemis fere trahebat exitum, cum subito apoplexia tactus occumberet. Causæ ergo Morborum non obscuræ sunt, aut difficiles cognitu, modo Medici non sponte relictis manifestis illis ac evidentibus ad obscuras dubias, in corpore abditas particularum qualitates aut figuras mechanicas, vel etiam ad spirituales cum Stahlis devenire malint, & de illis disceptare. Certe contemplationes istæ nihil ad Artis exercitium faciunt, utpote fere extra limites Artis positæ, adeoque Medicum, qui nimium suis Hypothesibus hic tribuit, facile in errorem inducunt, & à vero scopo avertunt.

§. XX.

Accedendum nunc foret ad Medendi Methodum specialem, nisi prius quadam de Instrumentis Artis, præprimis Medicamentis præmonenda essent, ut appareat non minorem horum certitudinem existere quam ipsius subjecti sive corporis morbo, nisi aliqui Medicorum & in hisce cœcutire malint, & neglectis principiis evidentibus proximis, ad hypotheses in animo fictas, aut invitæ Naturæ extortas, confugere perseverent, ut sunt particularum figuræ mechanicæ quæ per analogiam supponuntur, vel Principia Chemica mediante igne ex corporibus non ducta, sed potius per novam transmutationem ac corporum destructionem producta. Nam quamvis mechanicam particularum conformationem in salibus microscopiorum usus confirmare videatur, non tamen exinde quicquam commodi in Medicinam redundat, cum ex diversis illis salium conformationibus non immediate nec evidenter concludere liceat, ad effectum, quem quodlibet concretum salinum in Corpore humano exercit.

Quo-

Quomodo enim Nitri virtutem refrigerantem ex particulis ipsius Hexagonis aut Salis communis exsiccandi ac calefaciendi vim ex cubiformi ipsius figura determinabis? Chemicorum autem ista principia non tali forma mixtis inesse, quali ope ignis proliciuntur, jam dudum præter Boyleum alii doctissimi ex nostris Germanis Medici evicere, nec id amplius diffitentur Chemici prudentiores. Certe qui Academiæ Regiæ Scientiarum Parisiensi adscripti sunt, aperte fatentur, quod ex Jalappa, Hypecacuanha, Feniculo, Solanò furioso, Brassica, &c. plantis tota natura differentibus, eadem numero ac forma Principia per retortam eduxerint, liqorem nempe acidum, oleum foetidum empyreumaticum, & denique ex capite mortuo parum salis lixiviosi, adeoque concludunt, specificas plantarum virtutes ex Chemicis istis Principiis explicari ac demonstrari non posse, cum impossibile sit, ut ex. gr. Solani Virulentia, aut Brassicæ Alimentosum ab iisdem principiis oriatur, sed adesse præter hæc aliquid in plantis sensibus imperivium, unde vires cujuslibet pendeant, quod ignis violentia destruat. (*)

§. XXI.

Cum ergo ista particula, quæ Medicamentis specificas virtutes largiuntur, non perspecta nobis sint, nec vel microscopis vel dissolutionibus Chemicis in apricum ponantur, longe alia via incedendum erit istis, qui certam & minus fallacem cognitionem de medicamentorum viribus desiderant. Nulla autem magis expedita est, quam diligens observatio mutationum, quas ægroti ex remedium applicatione patiuntur. Effectus enim quem quodlibet Medicamentum in corpore morbofo edit, omnium certissimum documentum præbet, cujus natura sit & quid ex usu ejus expectandum. Non equidem negaverim habere Medicos Principia, ex quibus a Priori Medicamentorum vires demonstrari possint siue mediante ratiocinatione indagari, ut sunt qualitates manifestæ odoratæ, ac imprimis sapidæ, nam præterquam quod ista nobis manifestum sæpe indicium præbent, an medicamenta nobis

D 3

bis

(*) Histoire de l'Academ. Royale des Sciences A. 1701. p. 113. Edit. Paris.

bis nota ac perspecta forte adulterata sint, aut effeta, etiam ignorantur virtutes interdum exinde rationabiliter explorare possumus prouti id pluribus legi potest apud (a) Galenum (b) Montanum (c) & Cel. Wedelium. Sed sciendum 1) multa medicamenta profare insipida, præprimis ex mineralibus, quæ tamen suis viribus non destituuntur, ut adeo hæc principia non se ad omnia extendant. 2) Quamvis saporum generalem medicamentorum efficaciam indicent, non tamen specificas eorum virtutes nobis exponunt, e. g. omnia insigniter amara sunt calida & sanguinem attenuant ac humores fundunt, sed absinthium, Centaurium minus febrifuga ac diuretica virtute pollere; Alöen ac Colocinthidem purgantia esse; Opium vero Caput petere anodynum esse ac soporiferum, ipse usus horum ac experientia demum comprobavit. Sive itaque Medicamentum ex saporis æstimatione à nobis primum in usum ducatur, sive ab aliis commendatum profert, nullum tamen genuinum ac infallibile principium datur, ex quo ad certitudinem pervenias præter experientiam, quid Medicamentum in corpore aegroti præstet. Hoc autem experiendi studium non cæco impetu insituendum instar anicularum aut Empyricorum indoctorum, qui medicamento, quod circa finem morbi forte propinatum est, totam gloriam recuperatæ sanitatis adscribunt, nulla habita ratione, ad verum & specialem effectum Medicamenti, an iste morbo istiusve causis sufficiat, aut satis quædret. Interim merito dolemus, ipsos nonnumquam Medicos, alias Eruditos, in his delinquere, & innumeras nobis delineare observationes, in quibus Autor refert, se postquam omnia, alias commendata, frustra exhibuisset, ex hujus vel illius medicamenti usu statim salutarem eventum fuisse expertum. Certe ejusmodi observationes nullius plane sunt utilitatis, versantur enim circa casus particulares, singulare autem experimentum, nullam scientiam nullam certitudinem parit. Talem Experientiam jam olim fallacem dixit Hippocrates, Aph. I. 1. quam si ex Scriptoris

(a) de Simpl. Med. Facult. (b) de Differentiis Medicament.
(c) de Theoria Saporum.

commendatione in aliis tentabis, plerumque de spe tua misere te dejectum experieris. Itaque omnes circumstantiæ probe sunt ponderanda: 1) *Quomodo Medicamentum suam efficaciam exferat, an cum manifesta materia morbifica excretionem an corrigendo, roborando, ac motus vitales incitando, an erroneos spasmodicos compescendo &c. agat?* 2) *An omnibus in universum eodem morbo laborantibus suppetiar ferat, an certis tantummodo Naturis, pro sexus, ætatis, aut Temperamenti diversitate, id quod non nisi ex toties reiterata experientia constare potest.* Sed de hoc argumento latius videri potest. Cel. Hoffmannus. (*)

§. XXII.

Atque hæc in observanda *auspiciis* eo magis necessaria est, quo magis simplicibus medicamentis, de quorum effectu magis fida documenta prostant, neglectis, Chémica & hæc rursus varie composita ab imperitis rerum nunc præferuntur, & publicis scriptis laudantur, vano sæpissime mortalium ausu, quasi summus Conditor, dum medicamenta omnis generis suppeditare nobis voluit, defecerit in opere, ita ut exferere virtutem suam nequeant, nisi a Medico multipliciter & incondita sæpe farragine jungantur, aut Chémica arte destillentur, sublimentur, præcipitentur, calcinentur, extrahantur, depræventur aut penitus destruantur. Certe non omnia medicamenta Chémicis laboribus apta esse, sed, vel evanida reddi, aut aliam indolem contrahere, prouti diversis operationibus obtemperare coguntur, etiam Pharmacopæis nunc constat. Quid enim magis ineptum est, quam Extracta parare ex Cinnamonomo aliisque odoratis quæ tenuium sunt partium; aut contra aquas destillatas provocare ex istis, quorum virtus in fixo terreo aut mucilaginoso latet, ut sunt qualibet dulcia, amara, acerba, &c. nihilominus officinæ Pharmaceuticæ ejusmodi inutilibus, quæ nihil pristinæ virtutis in se continent, superbiunt. Adhuc magis vero transmutatoria ignis efficacia in mineralibus elucet, ex quibus sufficit solum adduxisse *Antimonium*. Hoc enim crudum aut simpliciter decoctum cum Sanguinis impuritatibus in Lue Gallica proficit.

(*) in Diss. de Prudenti Virium Medicam. exploratione.

igni violentiori expositum pro diverso ejus gradu, aut cum
 aliis combinatione, destillatione, vitrificatione, detonatione,
 calcinatione &c. mox in liquorem corrosivum, mox in calcem
 fatiscit innoxiam, vel dentque varii generis vomitoria offert.
 Idem ostendit ex Animalium classe *Cornu Cervi*; nam simplici-
 ter ac blando igne decoctum liquorem nobis largitur febrici-
 tantibus, heclicis, marasmo consumptis aut sanguinis profu-
 sione debilitatis & exhaustis, adeo gratum & salutarem; sed
 igne fortiori per retortam destillatum, sal volatile urinosum
 & nauseosi odoris oleum suppeditat, adeo contraria effica-
 cia ut non sine damno in praedictis malis propinari que-
 ant. Non autem tantummodo pro diversitate operatio-
 num Chemicarum medicamenta varie transmutantur, sed
 eadem quoque operatio in eodem medicamento insti-
 tuta, non semper ejusdem efficaciae remedium suppe-
 ditat. Ut enim tantummodo dicamus de Essentiis Ele-
 xiribus vel Tincturis, quilibet facile agnoscit, eas toties muta-
 biles esse, quoties liquor sive menstruum variat; nam prout
 illud vel urinosum aut inflammabile spirituofum vel acidum,
 vel vinosum, aut denique oleosum existit, non tantum suas
 virtutes medicamento affricat, sed etiam pro hac natura sua
 diversitate alias particulas ex medicamento extrahit, & quasi
 imbibit, reliquis intactis & in fundo relictis. Sic Aloë per se
 propinata aut cum aquoso liquore diluta ac soluta, lene con-
 stituit evacuans, verum cum Spiritu Vini dephlegmato pa-
 rata Essentia expectationem aegroti non explet, sed plerum-
 que tormina & irritos desidendi conatus excitat, ut propterea
 manifestum sit, vires medicamentorum Chemicorum non atti-
 mandas esse ex virtutibus quae medicamento in substantia as-
 sumpto naturaliter insunt.

§. XXIII.

Quod vero Medicamenta composita attinet, quae ex pluri-
 bus simplicibus vel naturalibus vel chemicis confarcinata sunt,
 nemo, qui recto judicio pollet, eorum vires ponderabit ex na-
 tura aut numero illorum, quae compositionem ingrediuntur,
 cum impossibile sit, ut quodlibet suam naturam integram servet.

Medi-

Medicamenta enim composita plerumque in tertium quoddam degenerant, quod sæpe effectum in corpore edit longe diversum ab isto, quem Medicus sibi animo præceperat, unde jam olim *Plinius Major* de compositionibus Medicamentorum disserens, eas ad vanas Artis ostentationes refert, cum tot remedia Natura dederit, quæ singula sufficiant. (*) Ex his vero simul elucet, quid de illorum præpostero studio judicandum, qui nullam Medicamenti formulam Pharmacopæis tradunt, nisi ex variis aliis compositis in Pharmacopolio jam profectantibus, de novo sit confarcinata, ita ut si quis numerum simplicium, quæ in quolibet composito continentur, seorsim inire velit, facile ultra centum aut plura in computum venire possent. Præterquam enim quod talis Medicus accurate determinare ac prædicere nequeat, qualis præcise effectus ex medicamento isto, quod ex tempore excogitavit, sperandus sit, etiam imperitiam suam sponte nonnunquam prodit, & Pharmacopæorum pueris deridendum se præbet, dum talia sæpe commiscenda præscribit, quæ amicis consortium respuunt. Ut enim tantummodo de Essentiis sive Tincturis dicam, quæ nunc quam frequentissime expetuntur, quid magis commune est, quam dum istæ promiscue, sive ex metallicis sive vegetabilibus paratæ sint, inter se conjunguntur, turbari statim mixturam & ad fundum delabi particulas medicamentoſas, ut non tantum enervetur virtus ac invertatur, quam sibi Medicus præconcepit, sed etiam loco pristinæ elegantiae, quam quælibet Essentia seorsim exhibebat, mixtura earum instar amurcæ turbida ac obscura reddatur, & nauseoso suo sapore ac odore sentiat camarinam.

§. XXIV.

Non tamen animus nobis est improbare medicamenta Composita sive Galenica fuerint sive Chemicæ parata, imprimis cum Essentiæ sive Elixiria in paucissimis guttis sæpe insignem efficaciam reconditam gerant, & in morosis ægrotis, qui reliqua medicamenta æqualiter respuunt, sæpe unicum Medicorum refugium existunt. Sed id tantummodo volumus, Medicamenta

E

mena

(*) Natur. Hist. Lib. XXIX. Cap. I.

menta Chemicé elaborata vel varie composita non semper æstimanda esse ex natura simplicium quorum efficaciam perspetam habemus. *Sed quemadmodum simplicita ex ipso effectu quem in morbis edunt cognita ac perspetta sunt; sic chemicorum ac Compositorum nullum aliud principium cognitionis existit præter ipsum effectum quem in corpore morbofo exercent.* Sive itaque prudenter à nobis excogitatum sit Medicamentum Compositum, sive ab aliis nupere inventum, necesse est ut illud unice æstimemus ex ipsa efficacia & quidem adhibita iusta circumspectione, quomodo agat, quo tempore morbi exhibendum sit, an omnibus eodem morbo decumbentibus satisfaciatur, an certis tantummodo naturis &c. *Ejusmodi enim observationes toties repetitæ certa suppeditant Axiomata, ut de virtute Medicamenti certi esse possimus, & predicere ægros, quid ex ejus usu sperandum ipsi sit. Præterea ex predictis sponte consequitur, Medicamenti quæ experta & probata sunt efficacia, sive simplicia fuerint naturalia sive chemice parata aut ex his composita, nihil addendum esse vel detrahendum, quoniam id sine aliqua virtutis mutatione fieri nequit.*

§. XXV.

Quibus præmissis nunc tandem ad Methodum Medendi specialem accedimus, quæ ut rite instituat Medico semper in animo hæreat, *cum esse Naturæ Ministrum*, hoc est, ut perpendat, sibi non quilibet in Corpus humanum licere, *sed Naturam habere certas leges, secundum quas cuilibet morbo medeatur*, contra quas si quid agit aut aggreditur Medicus, vel vim inferet corpori, vel certe sine suo excidet. Has itaque Leges ut perspetas habeat Medicus necesse est, sic enim statim ipsi constabit, *an Natura rite peragat, quæ peragenda sunt, an deficiat in consecutis moribus, aut forte in istis excedat, vel denique irregulariter & erronee eos instruat.* Pro hac enim diversitate necesse est, *ut vel spectatorem agat Medicus, ac nihil turbet, vel deficienti aut aberranti Naturæ ferat suppetias.* Cum autem nobis in specie hic sermo sit de morbis ex ferosa colluvie originem ducentibus, hinc in specie quoque considerari meretur, *quid Medico in ejusmodi morbis agendum?* Facile autem apparet, cum morbi isti a superfluo humido immediate producantur, primariam Medici intentionem eo esse dirigendam.

gendam, ut illud e corpore educatur. *Quicquid enim abundat
sive in toto corpore sive in parte aliqua, sui exclusionem postulat, aut certe
naturam à parte nobili exclusionem.* Cum autem serosa ista collu-
vies, ut supra ostendimus partim pendeat ex causis naturalibus,
temperamento nempe phlegmatico ac senectute, partim vero
ex causis non naturalibus Aëre nimirum & erroribus diæteticiis,
statim elucet Medicum istiusmodi morbos non eradicare vel
certe non prohibere posse, ne statim recurrant, nisi ad causas istas
precedentes animum advertat. Quod itaque causas naturales
attinet in Phlegmaticis imprimis senescentibus, non solum
Energiam fluidi subtilissimi Nervei in statu Naturali debilem
esse, sed etiam solidarum partium tonum ac robur deficere ut
actus vitales ac depuratorii minus rite & iusta proportione exer-
ceantur, supra ostendimus. Multo magis autem actus isti de-
bilitati sunt, quando status præternaturalis sive morbosus ex
serosa colluvie jam actus adest, adeoque Medici officium erit,
*Naturam debilitatam & suos actus negligentius exercentem incitare, ut
excretionis sive depurationis negotium majori energia suscipiat, & accele-
ret, quo obtento, exclusio feri superflui sponte consequetur:*
Causæ autem Non-naturales sive errores circa vitæ genus, qui
vel Naturæ actus vitales ac depuratorios remorantur, vel novis
humiditatibus corpus obruunt, non solum vitandi sunt, sed
etiam corrigendi, & quidem contraria vivendi ratione, *contra-
ria enim contrariorum sunt remedia.*

§. XXVI.

Itaque primo de Rebus Non-naturalibus sermo instituen-
dus erit, & quidem 1) Aër austrinus, humidus ac frigidus vi-
tandus ac fugiendus erit, 2) Victus imprimis potus uberior sub-
trahendus. 3) Somni tempora coarctanda, meridianus vero pe-
nitus omittendus & potu Coffeæ arcendus. 4) Vita otiosa &
quieta pro ægroti conditione & viribus, labore & corporis exer-
cicio, gestatione vel uestione in curru &c. interpolanda. Ut
enim vigiliæ fluidi nervei energiam intendunt, sic labor partes
solidas firmat, & motum fluidorum auget, & ut actus depu-
ratorii melius succedant, efficit. 5) Animi sollicitudo Musica
& grato amicorum consortio varianda, præprimis moralibus &
Chri-

Christianismi Præceptis temperanda. 6) Denique quod excernenda attinet, quemadmodum Natura in prædictis morbis deficit, ut superfluum ferum excrementitium expellat, sic saepe & alvus in morbis istis non satis suo officio respondet, & in morbis soporosis & catarrho suffocativo congestiones humorum versus caput aut pectus auget. Verum hæc ipsa Excernenda non tantummodo ob vitæ genus mutatum feliciter succedunt, sed etiam Medicamentis sunt promovenda; quomodo autem & per quas vias ferum excrementitium exturbandum, sive quinam actus naturæ depuratorii præ cæteris augendi, & quibus remediis id obtinendum, nunc porro indagandum erit.

§. XXVII.

Ne vero temere hic quicquam suscipiatur habemus iidem præeuntem Naturam & vias quasi præmonstrantem: ita enim jam olim Hippocrates. (a) *Ab Hydrope detento, ubi aqua in venis ad ventrem confluxit, solutio fit, per hunc confluxum autem non intelligitur alvus lubrica vel laxa, sed copiosa & subitanea aquarum excretio, hinc alibi dicit (b) Si a Leucophlegmatia detento vehemens Diarrhœa superveniat morbum solvit.* Alibi vero dicit: c) *In his qui ab hydrope detinentur, si aquositas per ventrem ad vesicam aut alvum fluit, solutio fit.* Certe ut omnis excretio critica copiosa est, sic etiam talis in Hydropicis, requiritur. Sic Nobilis quidam ob morositatem suam & intemperantiam Hydrope ascite desperata laborans, cum tandem etiam Paracentesin incautum tentasset, & venter, eductis ultra XL. aquarum libris, intra paucos dies ad pristinam molem extenderetur, moriendum sibi esse firmiter credidit, & propterea omnia Medicamenta respuit pertinaciter. Ut tamen somno artificiali noctis falleret fastidia, & morbi leniret molestias, proprio ausu opii Essentiam vespertino tempore assumpsit, aucta quovis fere quadriduo soporiferi dosi, quoniam Natura, medicamento adsveta, tandem ordinariam ejus vim eludebat. Interdum vero potu Theæ & Vini Rhenano sitibundas fauces satis liberaliter irrigabat. Venter interim fere ad crepaturam usque intumescens spiritum adeo angustum reddebat, ut suffocationem

(a) Aph. VI. 14. (b) Aph. VII. 29. (c) Libro de Judicat. §. XI.

tionem & extrema imminere, quovis momento viderentur. Sed ecce! postquam per aliquot hebdomades ita genio suo indulserat, nocte intempestiva e somno excussus, matulam poscit, & ingentem aquarum copiam per vesicam excludit, spontaneo Naturæ ductu, eoque adeo constanti, ut intra 14. dies omnes aquas redderet salutari eventui. Quamvis autem Natura rarissime in istiusmodi morbis sibi sola sufficiat, ostendunt tamen ejusmodi exempla, Medici officium esse *Naturam imitari* & per easdem vias *Hydropicorum aquas educere*, per quas *Natura sibi relicta interdum cas sponte exturbat*. Et sane facile apparet in *Hydropicis* superfluum aquosum per *Venæ sectionem* non educi posse: non enim illud in ductibus sangviferis hæret, sed vel in cavitate quadam vel in ipsis poris cutaneis & membrana adiposa collectum secessum à sangvine fecit. Quamvis autem illud serum quod cuti inhæret aut ipsi immediate subjacet, ad exclusionem cutaneam aptissimum videri posset, contrarium tamen evincit experientia, nam nec *Balnei calore* sudor ex *Hydropicorum corpore* exprimitur ut *Lysterus* testatur (*) non enim tenues *hydropicorum aquæ* sunt, sed viscida glutinosa, adeoque per angustos cutis poros exitum invenire nequeunt, sed emunctoria magis patula postulant, qualia sunt renes & glandula intestinorum.

§. XXVIII.

Idem fere observandum de reliquis morbis ex sero superfluo viscido ad certam partem nobilem congesto aut in ipsa præternaturaliter hærente, originem ducente, ut sunt morbi soporosi, Apoplexia, Hemiplegia, Paralysis, Catarrhus suffocativus. Regimen certe sudoriferum, ejusmodi ægrotis sub initium morbi nihil utilitatis affert: sed malum potius exasperat; Imo ne capite quidem debilitatis profunt coacti sudores cum majores humorum congestiones versus caput concitant. *Famina* Honesta cum circa veris initium Cephalalgia frequenti corripere, eam sudore discentere matutino tempore allaborabat, sed mox aphona redditur & stupida, ita ut, quamvis oculis apertis decumberet, nihil tamen eorum quæ peracta erant,

E 3

reco-

(*) Vid. Ej. Exercitat. Medicinal, in Præf. p. 9.

recordaretur. Isti lingvæ usum mox reddidit V. S. prompte instituta, reliquias autem morbi, torporem aliqualem mentis & dolorem capitis obtusum, discutere diuretica & repetita aliquot per alvum evacuationes. Hinc jam olim Hippocrates: *Urina multam subidentiam habens a mentis emozione liberat* (a) & alibi *Lingvæ & brachii siderationem solvunt urina multa acervatim profusores.* (b) Præterquam autem, quod experientia illud evincit, etiam ipsa ratio nobis dicitur, *Cerebri & Pectoris oppressiones, quoniam periculose sunt, & sæpe subitam mortem inferunt, subitam quoque materiam illuc congestam remotionem postulare,* adeoque non tantum ista Medicamenta profunt, quæ urinae secretionem promovent, sed reliqua omnia, quæ motum humorum versus partes corporis inferiores provocant sive interna fuerint sive externa ut mox pluribus patebit.

§. XXIX.

Postquam itaque constat, quid Medico in morbis supra adductis agendum, jam porro inquirendum erit; *Quibus Remediis id præstandum.* Sponte autem consequitur, *Purgantia & Diuretica,* hic requiri, quoniam Naturam incitant, ut actus excretorios per Alvum aut Renes majori Energia exercent. Ad sunt tamen & alia, *externa,* quæ partim imminuunt superfluum serum, partim etiam a capite & partibus nobilioribus illud avertunt, ut sunt Vesicatoria, Synapismi, Frictiones &c. Quod Purgantia & Diuretica attinet, diu ista per experientiam constant, ut non opus sit de iis differere latius, imprimis cum id ab aliis abunde factum, ex quibus celeberrimos Viros *Pechlinum, Wedelium, Ettmullerum, Ludovicum &c.,* illis, qui plura de his scire desiderant, commendasse sufficiat. Verum quoniam neque Purgantia, neque Diuretica ejusdem Generis sunt aut efficaciam, sed vel gradu inter se differunt, vel certis corporis partibus amica aut inimica existunt, hinc necesse erit monita quædam practica adjungere, non Hypothesibus aut probabilibus fictionibus superstructa, sed toties usu comperta, ut Medicus, illis instructus, *principiis gaudeat universaliter veris, evidentiis ac proximis, ex quibus operationem immediate aggredi & ad optatum finem deducere valeat.*

Monita

(a) Epidem. VI. §. 6. (b) Coac. Prænot. p. 555. edit. Linden.

Monita & Axiomata Practica :

Oppressiones Cerebri & medullæ spinalis in Apoplexia, Paralyfi, aut morbis soporosis, ut promptam remotionem materiae morbificæ postulant, sic optime purgantibus obtemperant.

Non tamen lenia, Eccoprotica dicta hic sufficiunt, sed mediæ efficacie desiderantur, ut Jalappa, Sal Ehsioniense, aut ex Compositis Extract. Panchymag. Croll. ; vel in istis qui deglutire nil possunt Clysteres acres ex Colocymbide, Sapone nigro &c.

Vomitoria quamvis a quibusdam in Apoplexia serosa laudentur, dubii tamen plena sunt remedia, quoniam majores ad cerebrum concitant congestiones.

Purgantia Draustica ut succus Ireos Nostratis, Elaterium, Gummi Guttae, Euphorbiam &c. non nisi in Hydrope Ascite aut Anasarca conveniunt justa cum circumspectione adbibita. In Capitis aut Pectoris affectibus non sine damno exhibentur.

Resina Jalappæ, quæ promiscue expetitur, cum spiritu vini soluta aut cum vitello ovorum vel amygdalis in formam emulsionis redacta, insiduum est remedium, & nonnunquam Hypercatharses excitat admodum atroces.

Hydropici aut non purgandi aut valentissimis remediis evacuandi sunt. (*)

Pectus contra in Catarrho suffocativo, ne mediæ quidem efficacie purgantia admittit, si Sal Ehsioniense exceperis, potius Clysteres sive dulcia lenientia postulat, ut Pulpam Cassie cum Pulvere Ireos florent, & Millepedum mixtam, facile cum Syrupo conveniente in Electuarii formam redigendam.

Purgantia ut in capitis affectibus ac Hydrope magis promptam sic diuretica magis fidam operam præstant.

Purgantia fortiora Hydropicorum vires destruant, Diuretica vero, diu inermis depurationis per urinam negotium restituant, Naturam roborant.

Acrida quæ tenuium partium sunt, ut sunt planta antiscorbutica, Arom-

(*) Vid. Listeri monita hinc inde Exercitationibus suis medicinalibus interspersa.

Aromaticæ, Tinct Tartar, &c. non tantum urinam pellunt, sed etiam Auxiles reddunt humores ut apti reddantur ad exclusionem.

Diuretica in omnibus etiam pectoris affectibus profunt, præprimis acria, cum lubricantibus dulcibus, mucilagenosis, aut pingvibus mixta aut iis involuta.

Species ad calculum Foresti mira præstant in pectoris oppressione, partim excretionem facilitando, partim affluxum avertendo.

Acidi mineralium Liquores fortissime serum per urinarias vias educunt, sed pectori sunt inimici.

Acida tamen leniora saccharo aut melle involuta & fracta, pituitæ viscida in pectore herenti conducunt, ut sicut Oxymel cum simplex tum Squilliticum. Sic vinum Rhenanum aut Mosellanum cum Syrupo Violarum gratum & commodum constituit pectorale, nam ut acida viscidum mucosum resolvent, & per urinarias vias educunt, sic dulcia vias lubricant & excretionem faciunt.

Acida in congestionibus humorum versus cerebrum adeoque in morbis soporosis Apoplecticis omnium optima & efficacissima sunt remedia, præterquam enim quod humores ad inferiora deturbant, etiam stimulant partes solidas relaxatas & deficientem Naturam ad novos motus concitant.

Salia contra volatilia, que a quibusdam, ob acidum coagulans, quod sibi in cerebro fingunt, miris encomiis celebrantur, plus mali hic quam commodi præstant, vehementes commotiones in sanguine & majores congestiones ad cerebrum excitando.

Majorem laudem in hisce & aliis capitis affectibus meretur Liquor C. C. succinatus.

Mixtura simplex & Tinctura Bezoardica Michaelis in sensum & motus voluntarii abolitione egregiam opem præstant.

Oculi Canceri acido Ciri saturati potenter resolvent, & serum superius per urinarias vias educunt, Apoplectis non minus quam Hydropticis salutare.

Salia lixiviosa cum Vino Rhenano soluta optimum in Hydropticis diureticum constitunt.

Majori adhuc efficacia operatur Spiritus Salis cum quarta parte Salis absinthii mixtus: Et hoc unico remedio in superius laudato Decocto Foresti propinato bis quotidie ad guttas VIII. ascendendo paulatim ad guttas XVI. l. XX. Hydropem ascitem sine ullo purgantium usu ple-
narie

auris exstirpatum novimus, & quidem brevi intra duarum hebdomadam aut mensurii temporis spatium. (a)

Felicius tamen hoc medicamentum in sexus sequioris personis operatur & adeo potenter aquas educit, ut illa etiam inscius agrotis continue prosruant. (b)

Amara egregia quoque sunt diuretica incidentia & aperientia, sed in capitis morbis, qui ex congestionibus & cerebri oppressione oriuntur Absinthium vitandum, est enim καρτερητικόν, ut Doctissimus Casparus Klossmannus loquitur, quod capita debilia insigniter laedit. (c)

Contra Potus Caffee qui leniter amaricat in soporosis & Apoplecticis affectibus insignem utilitatem affert, imo loco Clysterum per portam inferiorem injectus Apoplecticos excitar, ut Galli testantur. (d)

In quibusdam Hydropicis Amara alvum nimis fluxam reddunt, quod quando fit ab iis abstinendum, vires enim agroti destruantur, nec tamen deturmescit Hydropicorum Venter.

Acerba adstringentia inter quae Martialia nunc primatum fere obtinent, per accidens urinam movent, roborando partes solidas & vasa ac meatus coarctando, adeoque circa finem morbi potius, quam circa initium in usum vocanda.

Paracentesis aquas Asciticorum quidem educit, sed morbo non medetur.



Vesicatoria suris admota, in pectoris & cerebri affectibus egregiam opem praestant, nam & educunt superfluum aequosum & congestiones a capite & pectore avertunt, Hydropicis autem plus mali quam commodi afferunt.

Sic etiam, quando gravior Apoplexia & metus subitanea mortis cauterium actuale plantis pedum applicandum. (e)

F

Præ

- (a) Vid. de hoc Medicamento Eph. N. C. D. II. An. VII. obs. 57. In Eph. N. C. D. III. An. II. obs. 84. hocce commendatur Recipe: Tinctura Bellidis cum Spiritu vitrioli parat. unciam I. Satis absinthii drachmam I.
 (b) Sine dubio ergo per uteri poros multum ferosa materiae propellitur, atque hac forte ratio est, quod felicius in faminis quam maribus negotium succedit. Vid. etiam Eph. N. C. D. II. A. X. Obs. 7. ubi idem notatur.
 (c) de Medicamentis officinalibus capite de Absinthio.
 (d) Histoire l'Academ. Royale des Sciences An. 1702. p. 29.
 (e) Brand. Meibomii Diss. de Apoplexia ejusque generosioribus remediis. Helmstadt. 1723.

42  (o) 
Præprimis autem exactum vite regimen, ut supra monuimus, præ-
scribendum, & quidem Apoplexia obnoxii præprimis circa somnum &
quietem, Hydropicis circa potum.

Sed hæc sufficiant, non enim præsens nostrum institutum
permittit, totum hoc negotium exhaurire: Qui autem plura
desiderat, adeat Celeber. Junckerum, qui varia monita & cau-
telas pro diversitate causarum occasionalium suppeditabit. No-
bis sufficiat ostendisse, Medicinam revera niti principiis certis
& evidentibus, & quomodo Medicus ad cognitionem istorum
Principiorum perveniat; nempe non ex hypothesibus prædo-
minantibus, aut à nobis excogitatis, quippe nihil ad Artis exer-
citiū faciētib; sed unicam ad Artis certitudinem viam
esse, *Observationes eorum quæ fiunt in corpore morboſo ut sunt Historia
morborum ac remediorum, & ex his collecta universalia axiomata, quæ
vel ab aliis posteritati tradita sunt, vel à nobis ipsis circa lectum
ægroti colliguntur. Non ergo invidia aut altercationibus, non
disceptationibus Philosophicis, res Medica crescit, sed candide
communicando, & in publicam utilitatem conferendo, quæ
multiplex rerum usus nobis aperuit. Hoc cum egregie con-
firmet Galenus, Colophonis loco ipsius verba in medium affe-
remus: Cum, inquit, unius hominis vita ad omnium inventionem sis-
ficere nequeat, longi temporis observationes historia colligit, ut ejus
beneficio tanquam ex multis tot seculorum hominibus
unus efficiatur Eruditissimus. (f)*

S. D. G.

(f) de Subfiguratione Empyrica, Cap. 9.

ERRATA.

Pag. 18. in fine pag. pro Lipp. l. Lipp. Pag. 20. lin. 21. pro negabat
l. negabit. Pag. 21. l. 2. pro Hippocrates l. Hippocrates. Pag.
21. l. 17. pro attendum l. attendendum. Pag. 23. l. 17. pro mor-
bor l. Morbos.



Rostock, Diss., 1724 / 27



St.





Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICÆ,

DE
**DEMONSTRANDI
RATIONE**

IN
ARTE MEDICÆ,

Quam
SENSU GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ,

PRÆSIDE,
PRO-DECANO SPECTABILI,
DOMINO

**CHRISTOPH. MART.
BURCHARDO,**

MEDICIN. DOCT. ET PROF. PUBL. ORDINARIO,
LONGE CELEBERRIMO, POLIATR. CIVITAT.

ROSTOCH. DEXTERRIMO,
PRÆCEPTORE ac PROMOTORE

omni Observantia colendo,

PRO SUMMIS IN MEDICINA HONORIBUS ac PRIVILEGIIS
legitime consequendis,

IN ILLUSTRIS AD VARNUM ACADEMIÆ AUDITORIO MAJORI,

D. Augusti A. R. S. M DCC XXVI. Horis consecutis

Publico examini submittit,

**PETRUS CHRISTOPHORUS
BURGMANN,**

Rostochiens.

ROSTOCHII, typis Jo. Jac. Adleri, SEREN. PRINC. & ACAD. Typogr.

16

1726,4.